

1321

D O G M A T I C I

1322

quod in area rubra Serpentes binos albos, auro coronatos, ascendentes exhibet, ad quem referam, nescio.

DLXXXVII.

U. 123 Codex chartaceus lat. Sec. XIV. Folior. 138. 4. currente calamo perscriptus, et, ut per *ἐπιγραφήν*: *Assit principio sancta maria meo*, conjicio, quondam *Thomae* nostri *Haselbachii*, est juxta clausulam in calce: *Lectura capituli Firmiter de summa Trinitate et fide catholica completa in studio Heidelbergensi per venerabilem Doctorem sacre theologie Conradum de Soltow anno Domini 1388^{mo}. Ac cum ego scriptor istum librum scribendo finiui sub annis Domini 1490. Circa festum mathe apostoli et hoc in studio Vlmensi. Praemittitur igitur ipsum Capitulum Firmiter, quod est I. Decretalium Gregorii IX. et deinceps ejus Expositio succedit ita in IV. Partes distributa, ut Pars quaevis materiam unius e IV. Libris Sentent. Petri Lombardi pertractet. Est enim Capitulum illud, ut notum, mere dogmaticum, unde et *Lectura* in illud inter theologica potius, quam Juris can. Scripta referenda est. Incipit vero: *Firmiter credimus &c. Fidem orthodoxam i. e. primam gloriam fidelium solidum et primum omnium virtutum immobiliter fore fundamentum auctorizans magister gentium &c.* Et finit: *Adimplebis me leticia cum vultu tuo, ad quam leticiam perducatur nos trinitas indiui-**

dua in secula seculorum benedicta Amen. Tum Clausula jam adlata. Novit *Gesneri Bibliotheca* istud Opus Autorem adpellans *Zoltau*. Ejus *Postilla super Evangelia per totum annum* memorat *Staphorstius* in *Hist. Eccl. Hamburg. T. III. p. 380*. Unde mirum e docto et diligenti Professore ignavum et illaudatum evasisse Episcopum *Verdensen*, si quidem *Alb. Krantzio Eccl. Hist. seu Metropol. L. XI. c. 3. edit. Basil. 1568. p. 338.* fides, qui ita vixisse ait, *ut homo ventri et gulae deditus accusetur*, addita tristi hac Nota: *idque ferunt esse Theologorum quieti insistentium.* Quod si verum, certe nunquam ex animo *Conradus* Scientias dilexit. Doctorem *Heidelbergensem* fuisse, nemo citatorum novisse videtur. Patria *Lunenburgensem* faciunt.

II. fol. 135. *ἀνεπιγραφήως* additur Expositio Orationis *Dominicae*, quae incipit: *Et primo sanctus Thomas de aquino dicit Pater et non dominus quia amari competit et non timeri &c.* Pleraque excerpta ex *Opusculo VII. Thomae* edit. *Rom. 1570 T. XVII. f.*

DLXXXVIII.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. R. 1097 Folior. 74. 4. nitide exaratus, rubro distinctus et fronte annum scriptionis 1493. praeferens hoc Titulo miniato est: *Petri Hediportunaensis ad venerandum eruditumque Compresbyterum Joannem de Sancto Foca, de quibusdam miraculorum questionibus libellus.*
Rem

Rem in luce ponet Praefatio. *Cum in hortis Magnifici et summi uiri Georgij Hellacheri praesidis Portusnaonis, proximis nonis maijs, ego multique praeterea ciues ab illo acciti consedissemus animorum recreandorum causa: uarijsque, ut fit, de rebus essemus multum diuque locuti, in eum tandem sermonem incidimus: qui frequens erat de miraculis: quae apud Castellum Fanam quadam in edicula Marię uirgini dicata crebro fieri dicebantur. Qua de re inter nos mox altercari coeptum est. Fuerunt enim, qui non temere dicerent, eorum, quae rumor attulisset, miraculorum nullum uerum esse posse. Contra etiam, qui suis quibusdam rationibus inherentes assererent, ea miracula uideri fieri potuisse. Quae quidem disceptatio cum a meridie ad coenam usque protrahata esset, multaue illic ultro citroque dicta forent memoratu et scitu digna: uisum est mihi, non esse reprebendum: si eorum seriem mandarem literis: quod posteris existimarem hac de re forsitan querentibus et uoluptati et utilitati fore. Ceterum ut ejusmodi materies existeret cum commodior explicatu: tum lectu audituue iucundior: Reuerendum patrem et grauem uirum Jacobum Gordinum Aquilejensem Archidiaconum induxi mecum colloquentem: quod is mihi uisus est idoneus: qui iurisconsultus celeberrimus et sapientissimus iudicatus: ea ipsa de re facile disputare posset. Ad hunc igitur accedens, quem in edium suarum ambulacro commemorantem feci, ita sum exorsus.*

Libenter haec descripsi; qui enim quasi perpetuo gressus inter barbari aevi salebras molior, in amoenissimo prato adquiescere mihi uisus sum; ita tersus et castigatus est Haedi nostri Sermo. Dialogum porro is suum ita auspicatur: Petrus Hædus. *Video mi obseruande pater, opportune me istuc bodie uenisse: quandoquidem et otiosus es, et solus. Jacobus. Quid tibi est negotij? Petrus. Id, quod rumor forsitan etiam ad te attulit &c.* Ita disceptationem ingrediuntur, cujus argumentum: *Quid diceretur, essetque miraculum: deinde quid maxime necesse foret, ut aliquid rite miraculum et appellaretur et esset: praeterea quis posset facere miracula: Tum quid inter diuina diabolicaque miracula interesset: Postremo quemadmodum diuina quirent a diabolicis discerni.* Quibus solide eruditeque discussis obtinet Jacobi sententia: *Ea, quae illic (Fanae) mira dicuntur esse facta: aut non extitisse miracula: aut non deo, sed diabolo tribuenda potius fuisse.* Quanquam prima ejusdem ratio minus mihi satisfaciatur: *Non uidetur uerisimile, gloriosam Virginem Mariam, relicta spretaue urbium oppidorumue frequentia desertum sacellum illud et abiectum, quod a latrone quodam olim erectum fuisse dicitur: et in quo pecora sepe uersarentur: delegisse miraculorum faciendorum causa.* Potiora sunt historica: vix aliquem ibi vere sanatum fuisse, nonnullos incidisse in peiora, quin mortem; velut arreptitios tremere, salire, currere, decidere denique

nique fatigatos et fere exanimes &c. quae certe *Convulsionarios Parisinos* in mentem revocant. Ut omnia *Haedi* nostri Scripta, ita et hic *Dialogus* lucem mereretur. Meminit alterius Exempli, quod apud *Laur. del Torre* Patritium *Civitatensem* (Cividal del Friuli) erat, *Joh. Jos. Lirutus* in *Notiz. dei Letterati del Friuli. Venet. 1760. T. I. p. 435.* sed illud dicatum est *Leonello Cheregato* tunc Ep. *Concordiensi*, cujus Viri plura *Impressa* in *Supplem. ad Maittair.* indicavi. Ceterum de *Haedo* (*Cavretto*) copiose et solerter egit *Lirutus l. cit.* quocum, si lubet, confer, quae notavi cum *Bibliogr. meae vernac. P. I. p. 116.* tum in *Memorab. Biblioth. Garell. P. I. p. 148.* De *Jac. Gordino Lirutus* p. 395.

II. fol. 49. adscripta sunt: 1) *Hier. Balbi* Epistola ad *Joh. de Sfelberg* supr. R. Boh. Cancellarium, quae incipit: *Si pro tuorum erga me meritorum &c.* et *Vol. I. Opp. Balbi Vindob. 1791.* ab *Jos. de Retzer* editorum 8. est p. 63. n. 28. 2) *Bobusl. de Hafsenstein* Elegia ad *Balbum* hujus initii: *Balbe Teramnaeo &c.* Extat in *Th. Mitis Farrag. Poemat. Hafsensteinii Pragae 1570. p. 54. n. 11.* et in *cit. Balbi Opp. p. 241. n. 210.* 3) *Balbi* proluxa Elegia ad *Hafsensteinium* hujus initii: *Miraris latia genitum &c.* ut in *mox cit. Opp. p. 101. n. I.* ubi et subiectam *Notam* consules.

DLXXXIX.

Codex membraneus lat. Sec. U. 691 XV. Folior. 25. f. magnifice scriptus, minio insignis, et fronte deaurata, picturata, e R. Bibliotheca *Budensi*, ut videtur, delatus ad *Joh. Fabrum* Ep. *Vien.* hanc inscriptionem praefert: *Frater Nicolaus ex mirabilibus natus Colofuarien. ordinis predicat. diue Theologie professor ac per uniuersum dominium Serenissimi Regis Hungariae Heretice prauitatis inquisitor et Apostolicus predicator Magnifico domino Joanni de Schellenberg Regio Cancellario suppliciter se commendat.* Argumentum *Tractationis* ex hoc Prologo excerpo: *Diutissime inter mortales questum est. Cur iustissimus deus, qui personarum acceptor non est, eterna sua prouidentia ex hominibus unum pre alijs ad perpetuam delegerit gloriam. Et ego in Natiuitate diui Joannis Baptiste predicando coram Serenissimo principe nostro Wladislao pientissimo Rege Hungariae Bohemie &c. hanc difficultatem iuxta ingenij mei paruitatem ita absolui. ut eciam nonnulli ex R^{mis} Hungariae prelati qui tum aderant me rogarint ut scriptis et memorie, que predicaueram, commendarem.* Igitur XVIII. *Capitibus* spinosam hanc Praescientiae et Praedestinationis materiam e Scholae suae Thomisticae principiis docte pertractat. *Capite XI.* paullum effervescit: *Si quis nomine dampnationis intelligat solam carenciam clare visionis dei sic parvuli nondum regenerati damnatis aliquo*